si esset *signum obiectivum, Trans.* si est id *quo* res exterior apprehenditur, nempe signum *formale, Nego. Contrad. min. Nego cons.* (1).

Obiect. 3ª. Si in sensibus causaretur a rebus species sensibilis, haec esset praesens facultati cognoscitivae. Sed id quod est praesens facultati cognoscitivae est eius obiectum. Ergo si daretur species sensibilis sensus non cognosceret res, sed earum species.

Resp. *Dist. mai.* Esset praesens *formaliter* i. e. ut *forma* faciens unum cum potentia cognoscitiva, ut ex eis resultet principium adaequatum cognitionis *in actu primo, Conc.* esset praesens *obiective,* i. e. ut terminus obiectivus cognitionis, *Nego. Contrad. min.* quod est praesens *obiective, Trans.* Quod est praesens formaliter, *Nego. Nego cons.* Per speciem sensilem sensus fit *in actu primo* i. e. proxime et adaequate potens elicere actum cognitionis circa rem, cuius haec species est repraesentativa; ita enim sensus est potentia passiva, ut sit immanenter operativus. Quatenus igitur est *potentia passiva* determinatur sensus a specie sensili, quatenus est *potentia operativa,* statim ac determinatur, elicit operationem cognoscitivam rei cuius similitudo refertur a specie impressa (2).

Obiect. 4ª. Simile simili cognoscitur. Sed sensus per speciem aliqualiter immaterialem nequit fieri similis rebus maxime materialibus. Ergo per species sensibiles non potest cognoscere corpora.

Resp. *Dist. mai.* Simile simili cognoscitur per similitudinem secundum esse intentionale, *Conc.* secundum esse reale, *Nego. Contrad. min. Nego cons.*

QUAESTIO XIX.

DE OBIECTO SENSUUM EXTERNORUM.

THESIS XXXIX.

Obiectum quod percipitur a sensibus externis *a)* **sunt sensibilia exteriora, videlicet corpora sensibilia existentia; ita tamen ut** *b)* **id quod per se percipitur a sensibus sint ea accidentia sensibilia, quae movent sensus, id autem** *c)* **quod ab eis per accidens percipitur sit ipsa substantia corporea, quae horum accidentium est subiectum.**

PRAENOTIONES.

149. Illud dicitur *per se* et *primario* apprehendi a facultate sensitiva, quod est eius proprium determinativum seu immutativum. Illud dicitur *per se* et *secundario* apprehendi, quod ita coniungitur cum proprio immutativo sensus, ut concurrat ad sensus immutationem, causando in immutatione aliquam diversitatem ex. gr. ut habeat maiorem vel minorem intensitatem, extensionem aut aliquid simile. Illud autem dicitur *apprehendi* tantum *per accidens* quod ita coniungitur cum proprio determinativo sensus, ut nullo modo concurrat proxime ad sensus immutationem, sed quum sit subiectum accidentium, quorum virtute immutatur sensus, eius praesentia sensibus innotescit. Subiectum enim est id *quod* per suas qualitates sensibiles immutat sensum.

Haec triplex divisio fere respondet divisioni *sensibilis per se,* quod subdividitur in *proprium* et *commune,* et sensibilis *per accidens;* de qua divisione loquuti sumus in Logica Maiori n. 238, qui locus est omnino conferendus.

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 85. a. 2.
(2) Cfr. S. Th. in III. De Anima lect. 12.

PROBATUR THESIS.

150. *Quoad 1um.* Id quod percipitur a sensu exteriori est *hoc quale quantum.* Atqui huiusmodi est corpus sensibile existens. Ergo id quod percipitur a sensibus externis sunt corpora sensibilia exteriora.

Quoad 2um. Ad hoc ut sensus exterior percipiat aliquod corpus sensibile existens, non sufficit quaelibet huius praesentia, sed requiritur ut corpus per suas qualitates activas sensui proportionatas, hunc movendo determinet ad eliciendum actum determinatae sensationis. Sic idem corpus exterius ex. gr. tuba, quatenus colorata in actu movet sensum visus ad eius praesentiam percipiendam in ratione huius colorati extensi, quatenus dura vel frigida movet sensum tactus ad eius praesentiam percipiendam in ratione huius duri vel frigidi extensi, quatenus actu sonans movet sensum auditus ad eius praesentiam percipiendum in ratione huius sonantis. Iamvero qualitates activae secundum quas movens movet mobile sunt eae secundum quas agens suam similitudinem causat in patiente, quum unumquodque agat secundum quod est actu per suam formam. Ergo hae qualitates activae nequeunt aliam similitudinem seu speciem imprimere in facultate sensitiva quam suam. Porro illud *per se* apprehenditur a facultate cognoscitiva quod est eius determinativum. Ergo id quod *per se* percipitur a sensibus exterioribus sunt accidentia sensibilia quae eos movent. Idcirco ait S. Thomas (l. c.). « Exterius immutativum est quod *per se* a sensu « percipitur, et secundum eius diversitatem sensitivae potentiae distin- « guuntur ».

Quoad 3um. a) Illud *per accidens* percipitur a sensu quod naturaliter connectitur cum eo, quod percipitur *per se,* utpote subiectum eius. Atqui substantia corporea naturaliter connectitur cum suis accidentibus propriis, cuiusmodi sunt quantitas et qualitates activae. Ergo substantia corporea a sensibus percipitur *per accidens. b)* Insuper illud percipitur *per accidens* a sensu, quod est *principium quo remotum* im-

mutationis causatae in facultate sensitiva. Atqui substantia corporea ratione formae substantialis est principium quo remotum immutationis causatae per suas qualitates activas in facultate sensitiva. Ergo substantia corporea percipitur *per accidens* a sensibus externis.

151. **Scholion.** *De nexu inter obiectum sensus et intellectus in homine.* Naturalis connexio inter substantiam et eius proprietates est ratio cur intellectus noster, cuius cognitio ortum ducit a sensibus, abstrahere possit a phantasmate rei singularis speciem repraesentativam quidditatis eius. Quum autem haec quidditas apprehendatur a sensibus *per accidens,* nempe ratione suarum qualitatum activarum quae *per se* a sensibus apprehenduntur, necesse est ut conceptus intellectivus distinctus substantiarum materialium determinetur per qualitates sensibiles in phantasmatibus relucentes et virtute intellectus agentis abstractas a conditionibus individualibus, ut ita immaterialiter in intellectum possibilem imprimantur. Sic quidditas auri distincte cognoscitur ab intellectu nostro, quum concipitur tamquam substantiae, quae habet proprietates talis coloris, ponderis, ductibilitatis etc., ita ut per haec distinguatur a quidditate ferri vel argenti.

THESIS XL.

Error ponentium facultatem sensitivam primo et directe percipere affectionem seu modificationem sensus, caeterique errores cum eo connexi refutantur.

PRAENOTIONES.

152. Quum omnis nostra cognitio a sensibus exterioribus ortum ducat; qui circa eorum obiectum erraverint, circa caeteras etiam philosophiae quaestiones errare necesse est. Id contigit modernae pseudophilosophiae instauratoribus, qui a Cartesio usque ad Kantium, Fichtium, caeterosque modernos rationalistas autumantes nostrarum sensationum obiectum primum et directum non esse corpora exteriora sed nostras affectiones vel ideas, eo devenerunt ut non solum de realitate entium subiecto cogitanti extrinsecorum, sed etiam de ipsius subiecti cogitantis deque ipsius cogitationis reali existentia dubitaverint, ita ut eam cum Fichtio Kantii discipulo inter somnia amandaverint. Praeclari huius moderni rationalismi doctoris verba (ex eius opere *Destinatio hominis,* quod ex germanica lingua in gallicam vertit D. Barchou de Penhoën) legisse iuvabit: « Nulla prorsus est res; ego « ipse non sum... Circa me realitas conversa est in inconditum somnium, « quin vita ulla realis ad somniandum detur, aut spiritus qui somniet, « aut somnium in quo somnium ipsum somniemus. Et sane eiusmodi « somnium esset *cogitatio.* Sed cogitatio, cogitatio ipsa! quam ego ut

« meam nobilissimam proprietatem considerabam, et tamquam scopum « vitae meae, in quo fontem reperirem totius realitatis; cogitatio quo- « que, huius somnii est somnium ». Et ita effectum est ut dum modernae scientiae instauratores superbe et inepte iactaverint rationem humanam sibi ipsi sufficere ad omnem veritatem demonstratione assequendam; eo devenerint ut de propriae existentiae et cogitationis realitate dubitaverint et inter somnia amandaverint.

Refutatio singulorum errorum.

153. I. **Cartesius.** Radix huius moderni scepticismi est in confundendo principio formali operationis perceptivae cum termino et obiecto perceptionis. Hanc confusionem, quae nos non sineret a mero subiectivismo egredi, invexit Cartesius, quum docuit obiectum primum et directum nostrarum sensationum non esse corpora exteriora, sed esse modificationes seu affectiones *animae nostrae* quas ideas sensibiles vocavit. Ex quo canone sequitur existentiam corporum non solum externorum sed etiam corporis ipsius hominis cogitantis esse demonstrandam. Anima enim iuxta Cartesium est quae sentit, non compositum organicum.

Facilis hinc est via ad scepticismum Fichtianum. Si enim ad trutinam sententiam Cartesii revocabimus, eum vel falsitatis vel scepticismi facili negotio arguemus. Quaerimus enim ab eo: Haec animi affectio est ne cognitio sensilis alicuius obiecti vel non? Si respondeat affirmative, (ut necessario respondere debet, quia cognitio sensilis absque obiecto sensibili cognito repugnat in terminis), suo ipse ore fatetur obiectum sensibile esse primo et directe cognitum, ita ut nequeat affectionis animae cognitio praecedere eius cognitionem. Quapropter falsus est Cartesius quum asseruit affectionem animi esse id quod primo et directe a sensu percipitur.

Quod si negaverit eam esse cognitionem alicuius obiecti, tunc erit *non cognitio,* quia cognitio nullius obiecti non est cognitio.

Insuper, etsi daremus Cartesio, primum cognitum a sensu esse animi affectionem, numquam possibile esset iuxta eius principia ad cognitionem existentiae corporum pervenire. Etenim ratio ob quam Cartesius statuit primum et directe cognitum a sensu esse animi affectionem, fuit immanentia operationis cognoscitivae, quae utpote necessario interior non potest ad exteriora se extendere. Confudit quippe modernae instaurator philosophiae immanentiam operationis cognoscitivae et principii formalis eiusdem cum intraneitate obiecti ad quod ultimatim terminatur cognitio. Iamvero in hac hypothesi Cartesiana impossibile esset etiam post infinitas animi affectiones cognitas pervenire ad cognitionem existentiae corporum. Nam si prima cognitio sensilis nequivit terminari ad obiectum exterius eo quod erat operatio immanens; neque

secunda, neque tertia, neque ulla alia poterit, quum omnes sint essentialiter operationes immanentes.

II. **Lockius et recentiores Cartesiani.** Cartesii errori affinis et ad eumdem scepticismum ducens fuit opinatio Lockii et recentiorum Cartesianorum, qui qualitates sensibiles, quas hominum genus semper existimavit et existimat esse aliquas realitates existentes in corporibus, diviserunt *in primarias et secundarias. Primariae* essent eae, quas nos cum S. Thoma et Aristotele vocavimus *sensibilia communia,* nempe extensio, figura, soliditas, translatio localis et similia. *Secundariae* autem essent eae, quas nos vocavimus *sensibilia propria,* nempe color, sonus, sapor, odor, calor. Inter utramque classem hoc interesse autumant, qualitates primarias esse revera in rebus, qualitates autem secundarias minime, sed esse meras modificationes principii sentientis, quibus nihil respondet a parte rei.

Iamvero haec etiam sententia falsa est. Etenim

a) Inter accidentia corporea, ea quae *per se* et *primario* agunt in sensum, et quibus mediantibus percipiuntur caetera accidentia sensibilia, non solum esse debent in corpore exteriori, quia unumquodque agit secundum quod est actu per propriam formam seu perfectionem; sed etiam recenseri debent tamquam *primario sensibilia,* quia eorum vi caetera accidentia corporea et ipsum corpus percipiuntur. Iamvero huiusmodi accidentia sunt eae qualitates, quas adversarii iniuria vocant *secundarias,* nempe colores, soni, qualitates odorabiles et gustabiles, caliditas, durities et caeterae qualitates tangibiles, ut constat ex demonstratis in Thesibus 22ª et 39ª et confirmatur uniuscuiusque et totius generis humani experientia. Ergo falluntur adversarii non solum quum ita dividunt qualitates sensibiles ut secundarias nominent eas quae sunt primario sensibiles, primarias vero eas quae sunt secundario sensibiles; sed multo magis quum qualitates primario sensibiles aiunt esse meras modificationes sentientis.

b) Quum nos qualitates, quas adversarii vocant *primarias,* nempe *sensibilia communia* non valeamus cognoscere nisi per cognitionem earum qualitatum, quas adversarii vocant *secundarias,* quaeque revera sunt *sensibilia propria* (ut in Thesi 39ª demonstravimus et experientia constat; nam non videmus superficiem nisi mediante colore, neque agitationem oceani nisi mediante colore vel sono etc.); si sensibilia propria non essent in rebus exterioribus, nulla via nobis suppeteret cognoscendi utrum sensibilia communia, et ipsa sensibilia per accidens nempe ipsae substantiae corporeae essent aliquid realiter existens a parte rei. Etenim apprehendendo sensibilia propria, apprehendimus sensibilia communia et sensibilia per accidens tamquam eorum determinationes, mensuras, vel subiecta. Si igitur ipsa sensibilia propria (quae vocantur ab adversariis qualitates secundariae) sunt merae modificationes nostrorum sensuum, quomodo eorum determinationes vel

subiecta esse poterunt aliquid realiter existens a parte rei? Ergo in sententia adversariorum necesse est ut intellectus noster, qui materiam suae cognitionis accipit a sensu, de omnium entium obiectiva realitate dubitet.

III. **Condillachius** prius partialiter, dein totaliter in subiectivismum et scepticismum incidit. Prius enim existimavit omnes qualitates sensibiles praeter tactiles esse meras affectiones subiecti sentientis, quibus nil responderet in rebus exterioribus. Quum enim solus tactus resistentiam quamdam ab extrinseco provenientem experiatur, aestimavit posse tactum certiores nos reddere de existentia rei exterioris resistentis. Attamen, quum deinceps haec resistentiae sensatio visa ei fuerit aliquid mere subiectivum, censuit nos ne quidem per tactum posse certiores fieri existentiae alicuius corporis. Nec mirum, siquidem confusionismo cartesiano imbutus discernere nescivit principium formale intrinsecum sensationis ab obiecto extrinseco efficienter sensum determinante.

IV. **Humius** fassus est pugnam esse naturae cum philosophia, eo quod natura nos suadeat esse a parte rei qualitates sensibiles; philosophia demonstret oppositum. Ipse autem, posthabita natura, pseudophilosophiae deliramenta amplexus, negavit nos posse per sensus certificari de corporum existentia.

V. **Reidius,** ut Humii scepticismum vitaret, asseruit sensationes coniungi quidem cum exterioribus obiectis, sed non connecti cum eis tamquam cum causa efficiente determinationem in facultate organica. Quaerenti igitur quomodo certificari possum de exteriorum obiectorum realitate, si meae sensationes nullam cum eis connexionem habeant; respondebat certificari posse *per inspirationem,* quae est fundamentum et radix omnium cognitionum nostrarum.

VI. **Kantius** tandem statuit unumquemque nostrum non posse certitudinem habere nisi propriarum affectionum et exclusit processum philosophicum, quo Cartesius aestimabat se posse devenire ad certitudinem de existentia rerum, quae sunt extra nos. Quapropter docuit corpora nihil aliud esse quam collectiones nostrarum sensationum; principium autem cogitans seu τὸ *ego* non esse aliud quam *phaenomenon quoddam* efformatum auxilio duodecim pseudocategoriarum, quas ipse invexit et in quibus elementa subiectiva cum obiectivis, intellectum cum sensu, rationes abstractas cum concretis et plura alia confudit (1). Has autem pseudocategorias efformavit vi principiorum mere subiectivorum Leibnitii, vi causalitatis absque realitate obiectiva ab Humio affirmatae, et vi iudiciorum a priori seu inspirationis Reidianae. Quibus praeclaris categoriis ita efformatis intellectus noster virtutem haberet sibi constituendi obiecta experimentalia, naturam sensibilem, mundumque universum, quin tamen ius haberet egrediendi extra se.

---

(1) Cfr. *Liberatore* Metaph. spec. Parte secunda cap. 4. art. 3. nn. 185. et 190.

Quae Kantiana theoria monstro similis peperit insaniam Fichtii atque modernum nihilismum, qui in ordine morali nostris diebus humanam societatem sus deque vertit atque ab barbariem et ad impietatem impellit.

REFUTATIONIS CONCLUSIO.

In qua innuitur doctrina de sensibili in actu et potentia deque sensu in actu et potentia.

154. Kantii caeterorumque refutati errores, iamdiu ab Aristotele et a S. Thoma in quibusdam veteribus deprehensi et refutati fuerant, simulque detecta radix confusionis, quae eos ad errandum impulit, videlicet ignoratio habitudinis inter actionem et passionem, et inter earum principium atque subiectum (cfr. n. 169.). Quapropter non distinguentes inter *sensibile in actu* (i. e. quatenus actu causat sensationem in sensu) et inter *sensibile in potentia* (i. e. quatenus est aptum movere sensum, sed eum non movet, puta quum lumen refulget, nemine illud aspiciente); neque distinguentes inter *sensum in actu* (i. e. quatenus actu movetur ab obiecto sensibili, puta quum visus motus a sole, hunc videt) et inter *sensum in potentia* (i. e. quatenus est aptus moveri ab obiecto sensibili, quamvis actualiter a nullo moveatur); nequiverunt intelligere quomodo licet unus et idem sit actus sensibilis et sentientis, qui subiectatur in sentiente, tamen principium causativum huius actus nempe subiectum agens et forma per quam agit sint sentienti extrinseca. Quum igitur animadverterint ipsum actum obiecti sensibilis, quâ talis, puta *sonationem* (quatenus hoc nomine significatur ipsa actualis motio organi auditivi ut procedens a corpore sonante), subiectari in sentiente (in quo quatenus recipitur, vocatur *auditio*) falso aestimaverunt ipsum obiectum huius sensationis esse intrinsecum sentienti (1).

QUAESTIO XX.

DE SENSIBUS IN PARTICULARI.

THESIS XLI.

a) **Praeter sensus externos dantur** *b)* **in animalibus perfectis quatuor sensus interni,** *c)* **specie ab invicem distincti, nempe sensus communis, imaginativa seu phantasia, aestimativa, et memoria.**

PROBATUR PRIMA PARS.

155. Dari quinque sensus exteriores ipsa experientia et humani generis consensus docent. Eorum autem distinctionem specificam desumendam esse a maiori vel minori accessu ad immutationem spiritualem, quam diversae qualitates sensibiles corporum determinant in facultate organica ipsis correspondente demonstrat S. Thomas (1). Haec autem maior vel minor spiritualitas immutationis resultat ex eo, quod minus vel magis admisceatur in organo de immutatione naturali. Itaque praesuppositis his, quae in quaest. 20. diximus de utraque immutatione, ita argumentum Angelici contrahimus: « Accipienda est ratio numeri « et distinctionis exteriorum sensuum secundum illud, quod proprie « ad sensum pertinet. Est autem sensus quaedam potentia passiva quae « nata est immutari ab exteriori sensibili. Exterius ergo immutativum, « est id quod *per se* a sensu percipitur, et secundum cuius diversitatem « sensitivae potentiae distinguuntur. Sed in quibusdam sensibus inve- « nitur immutatio spiritualis tantum (vel saltem ut recentiora experi- « menta suadent coniuncta cum minimo gradu immutationis naturalis « in organo) sicut in visu; in quibusdam autem cum immutatione « spirituali etiam naturalis, vel ex parte obiecti tantum, vel etiam ex « parte organi. Ex parte autem obiecti invenitur transmutatio natu- « ralis secundum locum quidem in sono, qui est obiectum auditus; nam « sonus ex percussione causatur, et aeris commotione; secundum alte- « rationem vero in odore, qui est obiectum olfactus; oportet enim per « calidum alterari aliquo modo corpus, ad hoc quod spiret odorem. Ex « parte autem organi est immutatio naturalis in tactu et gustu; nam « et manus tangens calida calefit, et lingua humectatur per humidi- « tatem saporum etc. ».

Ex his autem quae S. Thomas in solutionibus difficultatum ait, patet tactum se habere ut genus ad aliquas species sensationum tactilium, gustum autem reduci posse ad aliquam speciem tactus. Quo in casu gustus non distingueretur realiter a tactu quatenus generice sumitur, sed a tactu quantum ad alias species tactus quae per totum corpus diffunduntur. Caeteroquin nulla hucusque allata est melior ratio distinctionis et numeri sensuum exteriorum quam ratio S. Thomae (2).

PROBATUR SECUNDA PARS.

156. Ex ipsa interna et externa experientia, quam habemus de modo agendi animalium perfectorum et ex ipsa exigentia naturae sensitivae locomotivae apparet praeter sensus externos, quibus praesentiam aliquorum sensibilium animal apprehendit, necesse omnino esse ut animal per aliquam potentiam organicam proportionatam 1° discernat ab invicem sensibilia externa ex. gr. album a dulci; 2° ut in absentia sensibilis externi, cognoscere illud adhuc possit, ut moveatur de uno

(1) Cfr. S. Th. in III. De Anima. Lect.

(1) 1. p. q. 78. a. 3.
(2) Cfr. cl. P. Sanctum Schiffini S. I. Disp. Metaph. Special. Disp. 4. Sect. 7.

loco in alium ad illud quaerendum, ex. gr. ad quaerendum cibum ; 3° requiritur ut habeat quasdam intentiones determinatas, vi quarum moveatur ad quaedam quaerenda et alia fugienda, non quatenus convenientia, vel disconvenientia sensui, sed quatenus utilia vel nociva, sicut hirundo paleam quaerit ad nidificandum et fugit accipitrem ; 4° requiritur ut animal conservet huiusmodi intentiones.

Sensus communis. Iamvero primum praestatur *per sensum communem,* qui est quasi centrum et terminus ad quem convergunt sensationes sensuum externorum et his mediantibus ipsa sensibilia externa, quique definiri potest : *Facultas organica quae percipit et discernit sensationes et sensata sensuum externorum in eorum praesentia.* Eius *obiectum formale* est universalius obiecto uniuscuiusque sensus exterioris ; nam est *singulare exterius quatenus intentionaliter immutativum omnium sensuum exteriorum.* Sensus enim communis percipit immutationes intentionales sensuum et eis mediantibus sensibilia propria omnium sensuum externorum. Esse facultatem organicam patet ex eo quod tum eius obiectum tum eius motivum est alligatum conditionibus materialibus, nempe est *aliquid quale quantum.* Eius triplex munus sic paucis describitur a S. Thoma (Opusc. de Potentiis Animae Cap. IV).

« Ista autem potentia est animali necessaria propter tria, quae habet « facere sensus communis. *Primum* est, quod habet apprehendere omnia « sensata communia, quae sensus proprius non apprehendit ; non enim « sensus proprius primo et per se apprehendit figuram vel motum, sed « *quasi* per accidens (i. e., ut suo loco diximus, *per se secundario* seu « *mediante sensibili proprio*)... *Secundus actus* sensus communis est ap- « prehendere plura sensibilia propria, quod non potest aliquis sensus « proprius : non enim potest animal iudicare album esse dulce, vel po- « nere diversitatem inter sensata propria, nisi sit aliquis sensus, qui « cognoscat omnia sensata propria, et hic est sensus communis. *Tertius* « vero actus est sentire actus propriorum sensuum, ut cum sentio me « videre ; non enim potest hoc sensus proprius, ut probatur Q. de « Anima, quia unius sensus proprii unum est obiectum. Unde cum *actus* « et *obiectum* visus, scilicet color, sint duo cognoscibilia, iudicium « utriusque non pertinet ad unum sensum proprium (qui quum sit « facultas organica nequit reflectere supra actum suum) cfr. Log. « n. 232. III. ».

Imaginativa. Secundum praestatur *per imaginativam* seu *phantasiam* quae est vis quaedam interior conservativa earum specierum, quae per sensus externos fuerunt receptae, et definitur : *Facultas organica, quae percipit sensationes et sensata sensuum externorum, in eorum absentia.* Ea vocatur a S. Thoma « quasi thesaurus quidam formarum per sensus acceptarum ». Hae formae quatenus conservatae in phantasia vocantur *phantasmata* seu interiores repraesentationes alicuius qualis quanti, puta templi, montis, arboris sub conditionibus materiae individualis. Eius actus vocatur *motus factus a sensu secundum actum,* quia ut phantasia has species recipiat moveri debet immediate a sensu communi, mediate autem a sensibus exterioribus et ab ipsa re sensibili exteriori. In homine est perfectior et participat de virtute intellectiva componendi partes apprehensas ex diversis sensibilibus : sic imaginamur montes aureos et leones alatos. Eam esse facultatem organicam patet ex eius obiecto et ex eius passione a re corporea. Eius organum adsignatur a S. Thoma pars cerebri immediate sequens organum sensus communis.

Aestimativa. Tertium praestatur *per aestimativam,* quae definitur : *Facultas organica apprehensiva earum intentionum, quae per sensus exteriores non accipiuntur,* videlicet apprehensiva *determinatae utilitatis* vel *nocumenti,* quae in re aliqua sensibili insunt in ordine ad animal hanc facultatem habens. Hac facultate avis apprehendit paleam tamquam utilem ad nidificandum ; canis apprehendit extraneum hominem ut noxium domui, quam custodit ; ovis apprehendit lupum, ut inimicum naturae. *Aestimativa* in brutis vocatur *instinctus,* quia brutum per eam deprehendit in aliquo singulari respectus particulares utilitatis vel nocumenti *ex necessaria determinatione naturae,* videlicet non cognoscit tale individuum sub ratione aliqua communi puta ligni, vel agni, sed sub ratione singulari, inquantum nempe est terminus singularis alicuius suae actionis vel passionis *ad quam est naturaliter determinatum.* Sic avis cognoscit paleam non sub communi ratione ligni, sed ut terminum suae actionis nidificativae. Et lupus ovem ad vocem cognoscit non propter deprehensam connexionem inter effectum et causam, sed *ex naturali determinatione* seu *instinctu,* quo in ea voce apprehendit nutrimentum sibi conveniens.

In homine autem vocatur **cogitativa** vel **ratio particularis,** quia propter connexionem cum facultate intellectiva in eodem subiecto, homo per cogitativam apprehendit individuum sub ratione aliqua communi, nempe prouti subest alicui naturae communi, videlicet inquantum est individuum in specie auri, vel olivae, vel canis, vel hominis, et ideo utilitatem vel nocumentum deprehendit in rebus non ex determinatione naturae, sed ex collatione plurium singularium ad invicem, puta respectu huius vel illius loci, vel temporis, vel personae, vel modi etc.

Ex modo dictis patet aestimativam esse potentiam organicam, quum sit omnino determinata *tum ex parte obiecti,* etenim est apprehensiva determinatarum intentionum utilitatis et nocumenti, *tum ex parte subiecti ;* etenim non omnes brutorum species apprehendunt omnes utilitates et nocumenta, sed ea quae ipsis sunt determinata a natura : sic utilitas paleae ad nidificandum apprehenditur ab ave, non ab equo. Et ideo omnia eiusdem speciei individua aequaliter et necessario se habent ad utilitates et nocumenta ipsis determinata a natura, ut experientiâ constat.

Inepte igitur ex modo ordinato quo immediatum aliquod agens operatur quis inferret esse in eo rationem seu intellectum. Quamvis enim opus ordinatum sit evidens signum alicuius intellectus ordinantis tamen ex eo non possumus statim inferre intellectum ordinantem esse eius, quod immediate operatur. Siquidem ex modo quo agens immediatum operatur deprehendamus in eo indifferentiam ad multa media et ad specialem ordinis formam, ita ut pro lubitu varios sibi determinet fines, media et ordines mediorum; evidens est tale agens, quod movet seipsum ad finem, esse intellectivum, quum haec omnia requirant conceptus universales. Si autem agens immediatum sit prorsus determinatum ad media et ad finem, ita ut *instinctive* et *necessario* apprehendat determinatum ordinabile et determinatum modum ordinationis ad aliquem determinatum finem; evidens est tale agens moveri ab alio ad finem et ideo carere intellectu. Iamvero ita agere bruta per aestimativam, quae idcirco in eis vocatur *instinctus,* ex supradictis et ex quotidiana experientia manifestum est. Quapropter a Divino Intellectu diriguntur per instinctum eis proportionatum ad suas operationes ordinate exequendas.

Aestimativae organum dicitur esse in media parte capitis eique immediate coniungi organum facultatis *memorativae*, de qua mox loquemur. *Fatuitas* in brutis et *amentia* in homine proveniunt ex corruptione huius organi.

Memorativa. Quartum praestatur a *facultate memorativa*, quae definitur: *Facultas organica conservativa et reproductiva intentionum, quas apprehendit aestimativa.* Quare obiectum huius facultatis est aliquod sensibile singulare non quomodocumque conservatum et intentionaliter reproductum, sed quatenus *prius sensatum* vel *prius aestimatum,* videlicet quatenus fuerat *prius* apprehensum per exteriorem aliquem sensum vel quatenus fuerat *prius* aestimatum tamquam utile vel nocivum ab aestimativa naturali (1). Sic equus ad phantasma clangoris tubae memoratur certaminis vel cursus prius peracti, et ad virgae aspectum memoratur praeteritae percussionis. Esse facultatem organicam probatur iisdem rationibus quas attulimus pro imaginativa et aestimativa (2).

Reminiscentia. In homine etiam datur memoria sensitiva seu memorativa, quae licet sit facultas organica, tamen quum radicetur in eadem essentia animae intellectivae extenditur ad aliquod, ad quod non pertingit memorativa brutorum, et sub hoc respectu vocatur *reminiscentia.* Etenim per hanc facultatem homo non solum ad phantasma unius sensibilis rei recordatur immediate alterius rei, sed etiam ex deliberatione quadam procedit quasi syllogistice ex uno memorato ad rursus memoranda quaedam prius cognita et nunc non memorata. Et ideo reminiscentia non est aliud quam *inquisitio alicuius quod a memoria excidit.* Qui motus quomodo fiat describitur a S. Thoma in Lib. de Memor. et Reminisc. Lect. 5. Ibi praeter multa praeclare dicta, quaeque sunt prorsus conferenda, haec habet. « Et ideo reminiscendo venamur, « idest inquirimus id quod consequenter est ab aliquo priori, quod in « memoria tenemus... Secundum tempus quidem incipit quandoque a « nunc, idest a praesenti tempore procedendo in praeteritum, cuius « quaerit memoriam: puta si quaerit memorari id quod fecit ante qua- « tuor dies, meditatur sic: hodie feci hoc, heri illud, tertia die aliud et « sic secundum consequentiam motuum assuetorum pervenit resolvendo « in id quod fecit quarta die ».

Ex his vero quae S. Doctor declarat ex Aristotele in Lect. 8. collatis cum supra dictis facile intelligimus *reminiscentiam* sumptam *pro actu* esse *inquisitionem alicuius quod a memoria excidit,* sumptam autem *pro facultate* esse ipsam memorativam quatenus inquisitione quadam syllogistica procedit de uno memorato ad inveniendum aliud a memoria elapsum. Excellentia autem aestimativae et memorativae in homine non habetur per id quod est proprium partis sensitivae, sed per affinitatem et propinquitatem ad rationem universalem per quamdam influentiam: semper enim virtus inferior fortificatur ex coniunctione sui cum virtute superiori, eo quod supremum naturae inferioris attingit infimum naturae superioris, praesertim si radicetur in eadem forma substantiali (1).

(1) Cfr. S. Th. in Lib. de Memoria et Reminiscentia lect. 3.
(2) Cfr. S. Th. l. c. Lect. 8.

PROBATUR TERTIA PARS.

157. I. Potentiarum specificatio desumitur ab obiecto formali uniuscuiusque; ita ut diversa ratio obiecti diversitatem potentiarum ostendat. Iamvero quamvis omnes facultates sensitivae respiciant *singulare quale quantum,* tamen hoc respicitur a *sensu communi* quatenus sub ratione immutativi intentionaliter omnium sensuum externorum *praesentialiter* eos movet et his mediantibus movet ipsum sensum communem; respicitur a *phantasia* quatenus in obiecti *absentia* immutatio ab eo causata remanet in aliqua similitudine sensili in sentiente; respicitur ab *aestimativa* quatenus *noxium* vel *utile* sentienti; tandem respicitur a *memorativa* ut *prius sensatum.* Atqui hae rationes sunt formaliter diversae. Ergo sensus interiores specifice distinguuntur ab invicem.

II. Accedit alia ratio quam S. Thomas ex Avicenna refert in suo Commentario in Librum De Memoria et Reminiscentia Lect. 2, nempe diversam dispositionem materialem requiri in organo pro diversitate operationum sensus communis, imaginativae, memorativae, etc., nempe humiditatem vel siccitatem prouti impressionem corporis sensibilis faciliter recipere, vel tenaciter retinere debent. Iamvero diversitati organi respondere debet diversa potentia organica. Ergo sensus interiores specifice distinguuntur ab invicem.

(1) Cfr. S. Th. Opusc. de Pot. An. cap. IV.

SCHOLION.

158. **De somno, somnio etc.** Opportunum esset quasdam speciales passiones sensuum internorum considerare praesertim *a) somnum,* qui est passio sensus communis et consistit in privatione sensationis in omnibus sensibus propriis causata a condensata evaporatione nutrimenti quae gravando et descendendo per venas sensuum externorum intercipit horum communicationem cum sensu communi, qui est eorum radix; *b) somnium,* quod est passio phantasiae et consistit in apparitione phantasmatum in phantasia dormientis; *c) somnambulismum,* qui est specialis quidam status somniantis, in quo phantasmata ita ordinate sibi succedunt et cum tanta claritate, ut somnians possit quosdam motus exteriores gubernare ex. gr. deambulare, verrere domum, scribere etc.; *d) divinationem per somnium,* utrum nempe sit semper contemnenda necne, etc. De his consulant Commentaria S. Thomae in Libros Aristotelis *De somno* et *vigilia, De somniis, De Divinatione per Somnium.* Insuper nobis loquendum esset de potentia locomotiva, sed de hac dicemus in Quaest. de Potentiis Appetitivis.

QUAESTIO XXI.

DE INTELLECTU GENERATIM CONSIDERATO.

THESIS XLII.

Inter entia intellectiva dari possunt infiniti gradus perfectionis secundum elongationem earumdem a materia et a potentialitate, ita ut infimum gradum in ordine intellectivorum teneat anima humana, supremum teneat Deus.

PROBATUR.

159. Quoniam datur duplex ordo potentiae subiectivae, nempe potentia subiectiva tum in ordine essentiae tum in ordine existentiae et potentia subiectiva tantum in ordine existentiae, quarum prima i. e. materia prima nullum in se importat actum, secunda autem importat quidem actum purum in ordine suae essentiae non autem importat actum in ordine existentiae; necesse est ut ad habendam vel in infimo gradu rationem substantiae spiritualis seu intellectivae habeatur immunitas et independentia quoad operari et quoad esse a materia prima. Secus impossibilis esset extensio virtutis requisita ad repraesentationem intentionalem secundum rationes universales entis.

Attamen non omnes substantiae creatae independentes a materia quoad esse, sunt eiusdem perfectionis essentialis inter se, sed, quum

sint perfectiones mixtae per se subsistentes, eo magis elongantur a potentialitate in ordine essendi, quo magis participant de esse, et per hoc sunt perfectius intellectivae. *Quo enim entitas immaterialis est actualior, eo melius et plenius entis rationem intentionaliter repraesentat.* Quoniam igitur inter ipsum esse subsistens et entia composita ex materia et forma dari possunt infiniti gradus actuum seu formarum per se subsistentium secundum quod magis vel minus participant de actualitate essendi, manifestum est dari posse infinitos gradus entium intellectivorum alios aliis perfectiores, supremum autem gradum tenere Deum, qui est actus purissimus subsistens.

Ad animam humanam quod attinet, ea est in confinio rerum materialium et immaterialium estque inter omnes substantias spirituales magis propinqua materiae, cuius est forma substantialis ad humanum compositum efformandum. Quapropter ita est infima in ordine intellectualium substantiarum, ut se habeat ad sua intelligibilia ut pura potentia seu *tamquam tabula rasa in qua nihil est scriptum,* quum indigeat determinari ad actum ab obiecto proprio, quod est quidditas rei materialis. Hoc autem obiectum individuatum in rebus materialibus non est actu intelligibile humano intellectui, qui accipit cognitionem a rebus ipsis materialibus; sed fit actu intelligibile per abstractionem a phantasmatibus virtute intellectus agentis, ut suo loco demonstratur. Et per hoc redditur vera ratio, cur infima inter substantias intellectuales sit essentialiter forma corporis. Etenim hac unione substantiali cum materia iuvatur anima humana ad suam potissimam operationem, quae est intellectio. Nam mediantibus potentiis sensitivis et vegetativis iuvatur ad sibi comparanda phantasmata, a quibus abstrahendo intellectus agens reddit actu intelligibile intellectui possibili obiectum suum (1). De his S. Thomas praesertim in Summa 1. p. qq. 84, 85.

THESIS XLIII.

Unitas intentionalis per operationem intellectivam obtinenda est de essentia intellectionis naturalis creatae.

PROBATUR.

160. I. Illud est de essentia alicuius operationis sine quo haec operatio neque esse, neque concipi potest. Atqui nostra operatio intellectiva est talis operatio immanens, vi cuius intellectus fiat intentionaliter id, quod res cognita est realiter. Iamvero intellectum per suam operationem fieri intentionaliter id, quod res cognita est realiter, importat unitatem intentionalem intellectus cum obiecto suae cognitionis

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 75. a. 1.